

Ang. VI 180

*Occasionalia  
prohessum carmina*

vol. 20

~~VI 180~~

II-180

VI-180.





VIRO  
SVMME REVERENDO AMPLISSIMO  
EXCELLENTISSIMOQVE  
DOMINO  
IO. HERMANNO

von **L**swich

HVCDVM SS. THEOLOGIAE  
CANDIDATO

ET ORDINIS SAPIENTVM IN ACADEMIA VVIT-  
TENBERGENSI ASSESSORI  
LONGE DIGNISSIMO (15.)

NUNC VERO

SS. THEOLOGIAE  
LICENTIATO

JAM PRIDEM MERITISSIMO

ATQVE AD AEDM D. D. COSMAE ET DAMIANI IN VRBE  
STADENSI FLORENTISSIMA VOCATO

PASTORI PRIMARIO

GRAVISSIMO

CVM AD CAPESSENDVM MVNVS SACRV M VVITTENBERGA  
STADAM DISCEDERET

DEBITAM ANIMI OBSERVANTIAM

GRATVLANDO TESTABATVR

ANDREAS ERICVS EILERSENIVS

RENDESVRGENSIS  
SS. THEOL. CVLTOR.



VIR SVMME REVERENDE  
FAVOR ATQVE PRAECEPTOR  
OBSERVANTISSIME COLENDE.



Quamquam varia sunt suspectae in orthodoxia fidei documenta, quum, nunc traditiones humanae, magno divinae auctoritatis detrimento, Scripturae sacrae associatae, nunc Myticae Codicis S. detorsiones, nunc rituum innoxiorum criminationes insanae, vitii notam facile prodant: nescio tamen, an non pro suspitionis indicio haud fallaci habendum sit, si quis Gradus ac Honores Academicos, pio ac salutari consilio, a Majoribus constitutos, quoquo modo sugillet, detrectet, & aspernetur. Equidem ingenue fateor, tantos me in rebus sacris progressus nondum fecisse, ut, vel omnes, vel certe plerasque, heterodoxiae notas detegere queam, quod Theologis, longo rerum usu subactis, relinquendum: nihilominus, a quolibet, vel leviter in Analogia fidei versato, intelligi posse, arbitrator, praeter ea, quae conceptis verbis in Scriptura continentur, & illa, pro veritate coelesti reputanda, quae ex contextu sacro, legitimaef consecutionis lege, nulli Scripturae oraculo contraria, eliciuntur. Jam vero id inter omnes constat, quanta perspicuitatis laude, evictaque veritatis gloria, Ecclesiae Lutheranae doctores, Nicolaus Selneccerus, Georgius Major, ipseque divus Lutherus, demonstraverint, Gradus illos, quos vocant, Academicos, Theologisque, pro Licentia, & pro Doctoratu, impertiri solitos, sacris literis non modo non repugnare, verum etiam cum iisdem optime conspirare. De Origine istorum Graduum, ab Ictis ad Theologos demum seculo XIII. translatorum, cum Ithero, Scherzero, Hermanno Conringio, Adamo Tribbechovio, Celeberr. D. Georg. Henr. Goetzio, Georg. Ursino, exponere nihil attinet. De fine tantum, Majoribus nostris, cum hos ritus instituerunt, proposito, pauca attingere placet. Is vero eo pertinebat, ut, qui munitis essent sacris praeficiendi, exploratae & doctrinae, & integritatis vitae, testimonio ornatos se sisterent ante, quam ad obeundas officii partes admitterentur. Qua in re non video, quo jure pii Majores, vel novitatis, primorum consuetudini christianorum adversae, vel neglecti, quod prohibenti Liberatori debebatur, obsequii, possint acculari. Si enim, ex D. Petri praescripto, vel Diaconorum officio, quales Ecclesia numerabat Apostolica, Viri deligendi erant *καθηρόμενοι*, optima fama praediti, quantae necessitatis sit, Episcopum ipsum, sive Ecclesiae Ministrum, graviori officio, citra probatae fidei, idoneique moris, testimonium, non praeficere, per se patet. Nullum autem judicii testimonium asseri potest, vel ad fidem gravius, vel, ad auctoritatem praestantius, vel ad veritatem exquisitius, eo, quod a Viris in Academia, publica auctoritate constitutis, pro officii ratione, impertitur. Eorum vocibus nihil ego moveor, qui aliunde quo-



quoque, de doctrina & moribus Ministri Ecclesiae cognosci posse, murmurant, si-  
quidem & Pastores constituantur Pagani, alique, nullo ejusmodi Gradu Acade-  
mico ornati. Etenim Licentiati, vel Doctoris, nomen non honoris titulum, sed  
officii gravioris monumentum haberi, voluit antiquitas, quo ad veritatem coele-  
stem, adversus quoscumque Ecclesiae purioris hostes strenue tuendam, jurato fue-  
runt obstricti: Quale quid de omnibus quidem Ecclesiae Ministris optare, at, in  
tanta impedimentorum varietate, sperare, vix licet. Hinc B. Lutherus suum Do-  
ctoris nomen auro contra habuit charius, propterea, quod ejusdem recordatione,  
eximia in, re fortiter gerenda, animi magnitudine afficeretur. De sententia Libera-  
toris, cujus verba, ut constat, in partem contrariam a Carolo studio, Zvvnglio,  
Gvvaltero, jam olim laudata fuerunt, contextus sacer dubitare nos finit haud qua-  
quam, utpote qui consilium nobis aperit dicentis, atque a turpissima Doctorum  
Judaicorum arrogantia, non a Doctoris officio, discipulos graviter dehortantis,  
prout circumspicte Theophylactus, cum eoque Glassius, Hunnius, atque Gerhar-  
dus interpretantur. Everso igitur per Nostrates duplici illo, quo Anabaptista-  
rum ac Fanaticorum turba, Joannes Merkerus, Bernh. Petr. Karlius, Christi. Dip-  
pelius, Jo. Andr. Rabius, Jo. Georg. Rosenbachius, Elias Praetorius, innituntur po-  
tissimum, fundamento, consuetudinis videlicet primorum Christianorum, ac man-  
dati Liberatoris, subductis probe rationibus, existimavi, neminem Theologorum  
Nostratum suspicionis notam effugere posse, qui hos Gradus, huc dum merentibus  
impertiri solitos, exagitet, detrectet, & aspernetur. Non antiquioribus tantum  
temporibus, sed nostra quoque aetate, inter Nostrates proh dolor! repertos fuisse,  
qui hac ratione suspectos sese publice reddiderint, utriusque Langii, Jo. Micha-  
elis, ac Joachimi, potissimum exemplis peculiari quodam Programmate Inaugurali  
MDCCX. docuit *Magnificus Dominus D. VVERNSDORFIUS*, Patronus, Praeceptor  
ac Hospes meus, nullo non pietatis & observantiae cultu aeternum devenerandus.  
Ergo tristior autem Ecclesiae facies est, si hinc illinc membra conspiciat, morbo  
quodam infecta, eo magis eorum conspectu exhilaratur, quae debita sanitate indi-  
cia praese ferunt, atque publicis doctrinae morumque testimoniis, dignos sese praebent,  
quibus sanctissima amplificandi fidelium coetus cura tuto committatur. In  
his TE, VIR SUMME REVERENDE, omnium consensu, ac merito TVO, nu-  
merari, non tam mea, quam totius Ecclesiae purioris, causa laetor. Tantum ab-  
est, ut de veritate doctrinae Nostratis aliquid remiseris unquam, vel de Ritibus illis  
salutari consilio, receptis, existimares liberius, ut potius ore calamoque, publice ac  
privatim, ex Codice sacro, Librisque Symbolicis, sanam doctrinam, pietatis, ac in-  
tegritatis causam veram & unicam, audientium animis suaviter instillares, instilla-  
tam fontium auctoritate irrigares, ac firmares, firmatam ab adversariorum strophis  
vindicare, vindicatam ad officia & casus non solum hominis Christiani cujusvis,  
sed speciatim quoque Ministrorum verbi, graviter ac dextre, accommodares. Id  
unum in TE, & a Patronis, & ab Auditoribus TVIS, desiderabatur, cur illa, quae  
passim de Gradibus Academicis, sigillatim de Licentiati, ac Doctoris titulo, acriter  
contra dissentientes disputasses, TVO ipsius exemplo non confirmes? imo a Patro-  
nis licet non semel admonitus, serio tamen declines? At modestiae TVAE, qua  
Summos infimosque TIBI concilias faventissimos, non suspectae cujusdam opinio-  
nis, indicium hoc fuisse, praefens nobis aperit tempus, quo Licentiati Gradum,  
communi omnium applausu, meritissimum capetis. Sustinuisti jam praecelaram illam  
Patronorum expectationem, qui Virum in TE praeviderunt, non mole, sed virtute



ac Eruditione, vere magnum. Tanta quippe ingenii industriaeque contentione, literis ubique incubuisti, ut ne illud quidem tempus, laboribus tuis vacuum, dimitteres, quod otio liberali ac vacationi publicae solet destinari. Adeo cunctis ostendebas cultum sollicitum, non corporis, sed animi, celebrandae Numinis gloriae, augendisque rei literariae commodis, unice intenti: Vnde mirum non est, tanto TE amore ubique complexos fuisse Praeceptores praesentem, ac profecutos absentem, ut nunc Fechtii, nunc Grapii, nunc Ittigii, nunc Förtsehii, alique complures, benevola literarum consuetudine, suam ex fortunae TVAE incrementis voluptatem, certatim declaraverint. Neque vero hi tantum, sed alii etiam, in diversis regionibus constituti, Viri, eruditione celeberrimi, Goetzii, Lindtrupii, Edzardi, VVolfstii, lectis dissertationibus, ceterisque varii argumenti scriptis, quae singulari ingenii, iudicii, lectionisque vastissimae, laude, maximam partem VVittebergae edita sunt, in admirationem abrepti fuerunt dotum, supra aetatem excellentium. Brevi itaque temporis spatio NOMINIS TVI fama apud externos ita percrebuit, ut non solum filios suos TVAE committendos disciplinae putarent, verum etiam de Gravissimo Professoris Theologiae munere deferendo cogitarent. Sed visum est Numini Summo, Stadenium TE concedere Ministerio Sacro, a quibus, unanimi fere consensu Procerum hujus Urbis florentissimae, praeter spem opinionemque TVAM, divino plane auspicio, haud ita pridem electus, jamque vocatus, es, *ad Aedem DD. Cosmae ac Damiani PRIMARIUS PASTOR*. Meum omnino, tanquam auditoris ac civis TVI, erat, VIR SVMME REVERENDE, commutata feliciter fortuna TVA lactari maxime, ac, de collato munere Amplissimo impense gratulari. Faveor autem, dolendi potius, quam laetandi, causam mihi subesse, id circo, quod ille jam discedit, et ejus ore per triennium, &, quod excurrit, assidue pendendi, cujusque consiliis, in qualicunque Studiorum meorum cursu, egregie fui adjunctus. Nihil mihi, aliisque non paucis, cadere potuisset optatius, quam TE, in Academia docentem, audire diutius, atque in percepta rerum, tam Philosophicarum, quam Theologicarum, notitia ulterius confirmari. Sed Ejus nutui ac voluntati hic est obsequendum, cujus imperio omnia sapientissime gubernantur. Hunc ego religiosissime comprecor, ut TE, VIR SVMME REVERENDE, salvum atque incolumem, ad eum fidelium coetum deducat, qui adventum TVVM avidissime expectant. Idem, suscepto deinceps munere, gratia sua praepotenti TIBI adsit clementer, ut officii TVI gravissimi rationes, maximo cum fructu audientium, eo usque docendo, refutando, adhortando, coarguendo, atque consolando expeditas, quoad visum fuerit Isti, qui has partes in praesenti commisit. Consiliis TVIS operatissimum quoque largiatur eventum, quo omnia ad suam Ipsius gloriam, puriorisque coetus, qui per Dei Gratiam ibi floret, incrementum, felici successu, dirigantur. Cumque Seculare tempus, memoriae, repurgatae per D. Lutherum, religionis facrum, propius absit, ut laetus, cum coetu TVO fideli, id ipsum celebres, mihi que tum nova gratulandi enascatur forsitan occasio, pro ea, qua Favori TVO diligentissime commendatum decet, Pietate precor. De cetero, ut quaecunque hoc observantiae in TE meae officium acqui bonique non modo consulas, utpote post meum ex itinere reditum festinanter praestitum, verum etiam inopositerum absentem me eadem, qua praesentem, benevolentia complectaris, nec TVA literarum consuetudinae, fortunae ac salutis TVAE cognoscendae cupidum dedigneris, sum-mopere abs TE pero atque contendo.


VVITTEBERGAE, LITTERIS GERDESIANIS.

Ung VI 180

VD 18

VD 17







Univ. Frankfurt a. M. 17. Nov.

64

VIRO  
SVMME REVERENDO AMPLISSIMO  
EXCELLENTISSIMOQVE  
DOMINO  
IO. HERMANNO

von **S**

HUCDVM SS. THEOLOGICI  
CANDIDATI  
ET ORDINIS SAPIENTVM IN  
TENBERGENSI ACADEMIA  
LONGE DIGNI

SS. THEOLOGICI  
LICENTI

JAM PRIDEM MERITO  
ATQVE AD AEDEM D. D. COSMATICAM  
STADENSIS FLORENTISSIMAE

PASTORI PRORSUM  
GRAVISSIMAE  
CVM AD CAPESENDVM MVNVS  
STADAM DISCEDES  
DEBITAM ANIMI OBSEQUIA  
GRATVLANDO TESTAMINI

ANDREAS ERICVS  
RENDESBVRGENSIS  
SS. THEOL. CVLTO

